

**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per  
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Funes, Scopæ.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](#)

ribus, quia Chananae gens mercaturæ maximè erat dedita. In tali fœmina confidit cor viri, & spoliis non indigebit. Indiget autem multis v. g. D. Consiliarius, & quia talem fœminam non habet, sed amantem commoditates, consortia, lusus, potus, Thee, Caffee, Chocolat, pomposas vestes pro se ac prolibus, hinc ad spolia, ad quærendas, acceptandas corruptiones via sternitur. Laudata mulier fortis etiam de fructu manuum suarum plantavit vineam, emit agrum, manum suam misit ad fortia, & digitus ejus apprehenderunt fusum. Denique consideravit semitas domus sue, & panem otiosæ non comedit. Ex defectu talis mulieris in multis holosericis ac tape-tibus instratis domibus est splendida paupertas. Potus Thee-Caffee-Gesellschaft non tam nocet ob nummos ideo exponendos, quamquod per hoc muliebris sexus dediscat labores manuum, & passim, ut pro dolor hodie dum cernimus, otio, consortiis, lusibus, &c. vacet, atque exinde laudetur unicè, quod sciat bene conversari, eloquenter garrire, ludere, saltare, &c. O quam deviavimus à prudentium ac piorum majorum moribus. Prudens procus ejusmodi filiam non appetit. Ponant sibi obsecro matres-familias ante oculos velut speculum laudatam à sapiente mulierem, & filias suas ad opera manuum & œconomica applicent.

## Funeris, Scopæ.

Funes peccatorum (insidiæ, illecebræ impiorum à lege Dei avertere volentium) circum-

348      *Pars secunda de elevatione*  
plexi sunt me , & legem tuam non sum obliuus.  
Ps. 118. Meditatus sum nocte cum corde meo, &  
exercitabam , & scopebam spiritum meum. Pl. 76.  
Sive me piis cogitationibus quasi scopâ agitabam  
nunc misericordiam , nunc justitiam divinam  
animo volvens. *Veniens* ( Diabolus ) invenis  
eam ( animam quam reliquit ) vacantem, scopis  
mundatam & ornatam. Assumpti autem ab eo  
septem nequiores spiritus intrantes habitantibz  
& sunt novissima hominis illius pejora prioribus.  
Matth. 12. Hoc verificatur in homine , qui  
quidem se convertit ; sed postmodum vacans  
otio nec de solidis sibi remediis providens reci-  
divam patitur, & in pejora prolabitur.

*Saccus.*

**Q**ui mercedes congregavit , misit eam in saccu-  
lum pertusum. Agg. 5. Talia sunt bona  
opera debitâ destitutâ intentione. Con-  
scidiisti saccum meum [ vestem lugubrem sacco  
similem ]. & circumdedisti me latitiâ. Ps. 29.  
Hoc potest dicere homo è statu peccati vel ad-  
versitatis emergens , vel etiam anima in statu  
gratiæ corpus relinquens. Facite vobis sacculos,  
qui non veterascunt. Luc. 12.

*Cubicula , & varia in iis contenta.*

**I**N superioribus domîs sua fecit sibi secretum  
cubiculum , in quo cum pueris suis clausa mo-  
rabatur , habens super lumbos suos cilicium , ti-  
mebat Dominum valde , nec erat , qui loqueretur